

sit

$$p = \frac{na(1 + \frac{1}{2}(n-1)r)}{1 + nr} \quad \dots \dots \dots \quad (III)$$

et

$$a = \frac{(1 + nr)p}{n(1 + \frac{1}{2}(n-1)r)} \quad \dots \dots \dots \quad (IV)$$

3. Ex tertia resolutionis methodo *) rediguntur pensiones singulae secundum praecepta art. 1. tradita ad valores suos praesentes, siue quaeruntur totidem, quot pensiones sunt, sortes, quae vsuris pro temporis intermedii ratione auctae, die solutioni pensionis vnius-cuiusque praestituta, ipsam pensionis summam conficiunt. Ex his sortibus singularibus quum fors elocata, tamquam totum ex suis partibus, confletur atque composita sit, sequitur iam, vt sit $p = \frac{a}{1+r} + \frac{a}{1+2r} + \frac{a}{1+3r} + \dots + \frac{a}{1+nr}$, tot terminis acceptis, quot pensiones sunt, siue

$$p = a S_{\frac{1}{1+nr}} \quad \dots \dots \dots \quad (V)$$

proinde

$$a = \frac{p}{S_{\frac{1}{1+nr}}} \quad \dots \dots \dots \quad (VI)$$

denotante $S_{\frac{1}{1+nr}}$ summam seriei, cuius terminus generalis siue n tus est $\frac{1}{1+nr}$, ex quo reliqui deinceps formantur tribuendo ipsi n successive valores 1, 2, 3, etc.

Quo computatio ad vnam vel alteram harum formularum institui possit, summa progressionis harmonicae $\frac{1}{1+r} + \frac{1}{1+2r} + \frac{1}{1+3r} + \dots + \frac{1}{1+nr}$ **)

*) Methodus haec, in qua computatio interusurii vulgo dicta HOFFMANNIANA vsurpatur, longe ante HOFFMANNUM, qui pugnando contra LEIBNITII rationem interusurii computandi nomen sibi fecit, in vsu fuit, sicuti vel inde constare potest, quod LEIBNITIUS suam rationem alii minus exactae opposuit. Sine dubio iam LUCAS DE BURGO SANCTI SEPULCRI in sua: Summa Arithmeticae et Geometriae, interusurium computare docuit; scriptores arithmetici enim seculi XVI. in institutionibus suis arithmetice librum hunc presse secuti sunt, id quod exempla iisdem fere verbis ac numeris prolata satis aperta monstrant. Vid. *Geschichte der Mathematik von Kästner. Bd. I. S. 78.*

**) BAILY, qui libr. ante laud. methodi huius, valorem praesentem pensionum annuarum computandi, mentionem iniicit, summationem seriei harmonicae, vt nimis